

mus, ut donec amotis impedimentis novus eligatur abbas Canoniam regere, disciplinam regularem sartam tectamque servare et ubi violata fuerit ordinationibus et correctionibus convenientibus restituere, officia et obedientias distribuere atque mutare et ea omnia pro bono Domus et Disciplinae necessaria aut utilia esse perspexeris agere valeas et respective tenearis adhibito tamen gravioris momenti seniorum aut saniorum consilio».

Notat P. Siegmund vi harum litterarum de facto locum dari speciali dispositioni abbatis Held iuridicae in Ordine, eo quod abbas Held hoc agere non posset vi suae positionis Vicarii Generalis in canonia Steingadensi, eo quod Steingaden non pertinuerit ad Circariam Suevicam, cuius Held Vicarius erat, sed ad Circariam Bavaricam, cuius tunc abbas Ioseph Gaspar, abbas in Neustift (Nova Cella)²⁴). Vicarius generalis erat.

Tandem, ex iis quae leguntur in Monito Commissionis Consilii clericalis, diei 28 septembris 1786, novimus Gilbertum Michel die 26 septembris electum esse abbatem Steingadensem (de facto erit ultimus abbas Steingadensis); canonia enim Steingadensis suppressa est anno 1803.

J.B. VALVEKENS

Rescriptum pontificium anni 1802

Perturbatio gallica, cum bellis inde exortis, pro pluribus monasteriis, ne dicam omnibus, in Gallia et Belgio actuali, finem attulit, saltem provisorie. Quod factum evenit post annum 1790. Canonici e monasteriis suis expulsi sunt et monasteria venditioni publicae sunt exposita. Canonici hac ratione depulsi, sese disperserunt per varia loca. Relationes vero vivas inter se, pro posse, retinuerunt. Spem semper servando de restitutione futura monasteriorum ad quae pertinebant. Abbate demortuo aud deficiente, «regentes» communitatis suae eligebant. Cum vero expulsio e monasteriis diuturna evaserit, et numerus canonicorum superstitum valde diminueretur, quaestiones novae et graves oriebantur. De facto, solummodo versus annum 1834-1835, vita communis restitui

²⁴) Abbatia Neustift (Nova Cella) sita erat in hodierna civitate Frisingensi. Annis 1775-1794 abbas ibidem erat Ioseph Gaspar. Qui Vicarius generalis Circariae Bavariae, ad quam pertinebat sua abbatia, fuit annis 1777-1794.

potuit cum confratribus paucis numero, et ad senectutem vere pertinentibus.

Interim tamen canonici illi de temporibus futuris semper cogitando, formationem, in quantum possibile videretur, futurorum novitiorum quodammodo iuridice procurare intendebant. Ut autem talis formatio iuridica assecurari posset, A. Heylen, canonicus Tongerloensis, rescriptum pontificium rogavit et obtinuit. Adrianus iste Heylen († 1802) sub vario respectu eminuit inter confratres suos (Cfr. L. GOOVAERTS, *Écrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, Bruxelles, t. III, pp. 188-193). Heylen iste, Romae sodalis fuit in Collegio S. Norberti, inde ab anno 1774; et per quatuor annos in Urbe remansit. In abbazia deinde degens, plura opera conscripsit, et edere potuit. In specie, ipse, quamvis numquam vere et plene pertinuerit ad collegium «Bollandistarum», cum PP. Societatis Iesu, tractavit, cum Ordo ad quam pertinebant Bollandistae (Soc. Iesu) suppressus esset, et obtinuit ut «Acta Sanctorum» ad abbatiam Tongerloensem transferrentur. (Cfr; H. LAMY, *L'œuvre des Bollandistes à l'abbaye de Tongerlo* in *Anal. Praem.*, 1926, II, pp. 294-306; 379-389; in specie: p. 169 s.). Abbatia Tongerloensi suppressa, Adrianus noster, ob valetudinem debilem, anno 1796, transivit ad paroeciam Olen, curam pastorem ibidem, pro posse, exercendo. Anno 1801 a saevientibus militibus Gallicis exilio mulctatus, Romam tetendit ad Collegium S. Norberti. Ubi I. De Smet tunc erat superior et insimul procurator generalis Ordinis apud S. Sedem. Heylen Romae remansit usque ad obitum suum. mense Maii 1802, morte repentina deiectus. Paulo ante obitum suum, Heylen litteras direxit ad Summum Pontificem, ad hunc finem ut ordinatio quaedam canonica obtineretur pro confratribus suis in patria sua degentibus. Contentum et finis litterarum clare enuntiatur in his scriptis; quae de caetero finem a scriptore intentum obtinuerunt. Textum harum litterarum hic submittimus, secundum eius formulare asservatum in archivo Averbodiensi, IV, 86.

Litterae Adr. Heylen Summo Pontifici: 1802

Beatissime Pater,

Exponit Sanctitati Vestrae ea quae par est reverentia et obedientia Adrianus Heylen orator, Abbatiae seu Conventus Tongerloensis, canoni-

ci Ordinis Praemonstratensis, nullius dioecesis in Belgio, co-regens¹⁾ et commissarius, qualiter de facto sub hollandico Dominio²⁾ existentes, religiosi dictae Abbatiae (quorum circa 80 in 39 diversis curis sive paroeciis expositi plus quam 45000 animarum curam gerunt) post varias pressuras communi suppressionis sorte anno 1796 fuerint involuti, bonis suis privati et dispersi; qui post variam fortunam plerique sub Hollandorum seu Batavorum dominis Confratribus suis ibidem curatis se adiunxerunt et manus adiutrices in cura animarum porrigunt, reliquis fere cum plerisque Superioribus ibidem etiam spiritualibus et immorantibus, atque quantum tempora et dispersio sinunt religiose viventibus. Accidit interea mors dilecti eorum Patris sui Abbatis³⁾, ita ut modo viduata existat praefata Abbatia; verum interim pro more et consuetudine per plularitatem votorum fuerunt electi 4 religiosi ex eodem gremio in regentes, qui cum P. Priore⁴⁾ usque ad novi Abbatis electionem et installationem omnia eiusdem Abbatiae negotia, tam in spiritualibus quam in temporalibus pro more antiquo curant, regunt atque disponunt. Ast cum hi in turbidis istis temporibus variis subici quaeant dubiis et difficultatibus et paulatim curatis morientibus, tot curis per suos confratres administrari solitis, providere ulterius non sint volituri, nisi novitios habeant seu admittant, hinc pro conscientiarum suarum tranquillitate securiori regimine atque Ecclesiae et gremii sui bono ad Sanctitatem Vestram recurrunt et suprascriptus orator eorum nomine humiliter supplicat quatenus ipsis concedere dignetur sequentes gratias:

1. Ut liceat regentibus sub Hollandorum regimine dominio recipere novitios, qui dumtaxat uno anno — ante a duo solebant esse — probationis in domibus suis pastoralibus, aut aliis, scapulari et cingulo sub veste seculari induti alias enim patriae leges non admittunt, novitiatum possint complere sub parrocho seu curato confratre, aut alio magistro ab ipsis Regentibus constituendi, atque eo expleto possint per R.P. Priorem⁵⁾ vel alium ab eo deputandum, aut deputatum ad professionem canonicam admitti.

¹⁾ Ut Communitas dispersa sane dirigi et bona ipsius administrare possent, «Regentes» a confratribus superstitibus eligebantur.

²⁾ Post gubernium exortum, etiam in Belgio actuali, a perturbatione gallica, Belgium erat sub dominio regis Hollandiae, usque ad annum 1830.

³⁾ Ultimus abbas Tongerloensis istius aetatis erat Godefridus Hermans, inde ab anno 1780. Obiit 17 iulii 1799.

⁴⁾ Prior iste erat Anselmus Beke, prior inde ab a 1795, parochus in Tilburg (1806); obiit 6 decembris 1807.

⁵⁾ A. Beke.

2. Ut liceat iisdem regentibus de mobilibus et immobilibus per industriad adhuc conservatis disponere in communitatis suae bonum et diuturnius confratrum suorum solamen prout ipsis secundum Deum visum fuerit.

3. Ut uno vel alteri e modernis regentibus moriente, facultates petitaee maneanat penes reliquos superstites.

4. Ut religiosi memoratae Abbatiae⁶⁾ possint condere testamentum, quo bona ipsis ad usum concessa transferre queant in confratres suos, ne alias ipsis ab intestato decedentibus-extranei aut etiam consanguinei secundum leges patrias ea praetendant atque ita bona ecclesiastica ad extraneos perveniant.

5. Ut uno e Superioribus communitatis Tongerloensis moriente possint dicti regentes alium confratrem sufficere, cui sit eadem quae defuncto facultas et iurisdictio.

6. Ut praefati religiosi seu communitas Tongerloensis ab obligatione trium Missarum conventuallum quotidie celebrandorum et 52 officiorum defunctorum et 4 solemnum, ad quae quotannis ex foundationibus et vi Ordinis tenebantur et quae per privatas Missas huc usque exonarunt, modo sint liberi, cum pleraque bona pro istis obligationibus relicta iam a Gallis et Hollandis occupentur, et quilibet religiosus necdum ecclesiis parochialibus inserviens et adscriptus qualibet septimana citra praedictas unam adhuc celebret pro Abbatiae benefactoribus et fundatoribus.

Quam gratiam Deus, etc.

Ex audientia SSmi, die 12 Aprilis 1802.

Sanctissimus attentis peculiaribus expositis extraordinariis circumstantiis canonicorum regularium Praemonstratensium in Hollandorum dominio commorantium necessitatibus opportune consulere cupiens, facultates et gratias in precibus expetitas ad sexennium tantum benigne concessit, nempe ut regentes novitios ad habitum admissos post unam dumtaxat probationis annum explendum apud aliquem Confratrem ad hunc effectum in singulis casibus deputandum, ad canonicam professionem queant admittere, praevia tamen per quemlibet declaratione, scriptis exaranda, se huiusmodi indulto libere uti velle. — Ut iidem regentes de bonis in communitatibus vel confratrum commodum et solamen queant disponere, atque singuli religiosi bona in confratrem, etiam in vim ultimae voluntatis quaeant transferre. — Ut aliquo ex modernis regenti-

⁶⁾ Agitur de abbazia Tongerloensi.

bus decedenti integrae maneant facultates apud regentes superstites. — Utque obitu eveniente alicuius ex Superioribus communitalis Tongerloensis regentes ipsi alium in locum defuncti cum iisdem facultatibus valeant sufficere, utque demum praefato sexennio durante eadem Tongerloensis communitas ab obligatione infrascriptarum Missarum, Officiorum, et solemnum exonerata remaneat, firma remanente celebratione unius Missae qualibet hebdomada per unumquemque Religiosum, applicanda pro Abbatiae fundatoribus et benefactoribus, Constitutionibus Apostolicis, Ordinis canonicorum regularium Praemonstratensium Statutis, testatorum voluntatibus, aliisque in contrarium facientibus etiam speciali et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Erat subsignatum: Michael de Petro, Patriarcha Hierosolimitanus.

(Additur: concordantiam cum originali attestor: A. Beke, Prior Tongerl⁷⁾).

J.B. VALVEKENS, O. Praem.

Jan-Baptist Macquet bouwt een orgel voor de abdij van Dielegem (Jette), 1631/32

Er zijn twee oorzaken waarom er zo weinig archivalia bewaard zijn gebleven van de abdij.

1 — *De Spaanse Successie-oorlog*. Bij de nadering van de Franse troepen had de abt de kostbaarheden van de abdij in veiligheid laten brengen in het refugiehuis, rue Finquette te Brussel. Deze waren voornamelijk archiefstukken en zilverwerk.

Het beeldhouwwerk en de schilderijen werden ondergebracht in de kapellen en bidplaatsen van de benedenstad.

Nochtans draaide deze veiligheidsmaatregel uit op een ramp, vermits de maarschalk de Villeroye dit stadsgedeelte bombardeerde op 13 augustus 1695. Refugiehuis en kapellen verdwenen in de vlammen.

2 — De enkele archiefstukken die gered konden worden en hetgeen er later werd bijgevoegd, werden opnieuw door een ramp getroffen, vermits op 20 juli 1719 een deel van de bevolking in opstand kwam en de woningen vernielde van die leden van de Staten van Brabant die minder sympathiek stonden tegenover het gewone volk.

⁷⁾ A Beke.